Opuscula

ILLUSTRISSIMO,
&
EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

D. MICHAËLI

De Potok

POTOCKI,

NOTARIO REGNI,
CAPITANEO KRASNOSTAVIENSI, SOKALIENSI, &c. &c.
Tribunalis Regni Supremo IUDICI
& MARESCHALCO.
Domino Mecænati Amplissimo.

M*Agnitudo gestorum Tuorum, cùm rapuit post se Orbis oculos, etiam Principum Cor, DIVINISSIMUM MICHAELEM GEDROICIUM trahit, ut augustum pectus Tuum possideat.* ILLUSTRIS-

A SI-

SIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. *Nullibi Ipsi celsior Majestas, quàm in Tui penetralibus; in quo Sarmaticæ Gentes Supremum Iudicem venerantur, altam potestatem audiunt, jura excipiunt, componunt corda in tributum. Acclina volanti famæ de sede Tribunali caput, Patria profitetur secum esse manum Domini, quæ illam tantò beat Iustiniô; deprædicat sanctam justitiam vox publica, astris Te ora populorum attollunt, quæ, injuriantium cupiditate exsiccata, mille gratiarum fontibûs reficiuntur. Quocunq; pedem intuleris, ubiq; Te fortunarum splendor circumstat; quas pridem ab Atavis & Avis cineri doloso insepultas, exhumatas suis redonas Hæredibus. Diffundunt per suas possessiones gloriam Tuam hi, quos perplexîs juribûs innodatos, & extra suum solum vagantes, quasi derecenti comparatîs ditas Dominiîs. Soli Deorum tutelæ relicta pupillorum turba, Te Principem Areopagi Lechiæ causas judicantem, pectorum aris imponit, profundo cultu adorat; qui converso in meliorem statum ordine, expensas litium mandas minui,*

lucu-

luculenta causarum fieri curas negotia, potentibus obstas, afflictis succurris. In plectendis sceleribus modum servas justitiæ, in pænarum rigore stat legum integritas. Vitia amputas, ne malorum succrescat vitis. Iudicem cùm exuis, Patrem agere desideras; ibi tantùm severus, ubi scelus pænîs affligendum. Nolles quemquam miserum inspicere: quos decretîs felices non efficis, inter hos læto vultu diffusè amplas divideres hæreditates, si singulos de calamitate posses eruere. Erga Numen Divosq; pius, Templis munificus, Clero gratiosus, Cænobijs liberalis, pauperibus misericors. Stat ad præsentium seculorum spectaculum, ad futurorum testimonium, Munificentiæ Tuæ Krasnostaviensis moles, in qua sacra Societas IESV Tuum Illustrissimum coram Altaribus celebrans Nomen, nunquam cælis illud sociare desistet. Hos non adduco, quos Tui thesauri locupletàrunt, dextra erexit, servavit protectio. Omnes ita scis devincere, ut pares affectu vincas, minores beneficiô subdas Tibi tributarios. Inter tot Orbis nostri si no Soles, certè primæ sydera magnitudinis, ta

tam meritorum effundis plenitudinem, ut splendorem & majus pretium Tuo Nomine non videat. Septimum jam seculum est, quàm sub vestris ipsi Orco timendis. triumphat Armis Polonia, secura sub vestra Cruce victoriarum legens palmaria. Ampliastis sub Boleslais ad Columnas ferreas Sarmatiæ terminos, sub Vladislais domàstis Asiam. & Sacrum Sanctæ Fidei Lumen obumbrare volentem Ottomanicam Lunam toties pallere fecistis. Extra exercituum Imperatores aut Duces, intra Patriam, semper magni Proceres. Parum vobis hæc in majoribus Vestris meruiße, sub SERENISSIMO *ac* INVICTISSIMO *AVGVSTO SECVNDO, Trajano Sarmatico Clementissimo, tanta agitis, ut impensum Bono communi amorem in Vobis miretur. In prima auge stat* CELSISSIMVS ARCHIEPISCOPVS *Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ* PRIMAS *Primusq;* PRINCEPS, *quem feliciter Polonis terris Imperans AVGVSTVS, Majestati suæ elegit, volens ut merita ejusdem in manibus dignis*

repo-

reposito coronaret diademate. Gestant ab altis curulibus Rerumpublicam molem Magni Belzæ & Kijoviæ PALATINI, *tranquillo Orbe Consules, Marte furente, Gradivi; cuivis adversæ fortunæ resistere intrepidi.* Illustrissimus Dominus CASTELLANVS *Belzensis, è Senatorio subselio fulcrum Sarmatici Orbis, fortitudine Hector, in castrorum tela, expanso pectore ruere audens, singula in victimam Patriæ prosternere gnarus.* Illustrissimus D. REFERENDARIVS *Regni, Majorē Titulô fert gloriā Gentis, pridem meritîs primus, altiora non ambit subselia, volens semper felicitatis Polonæ famam referre. Quid proportionatum habet Resp? quô Illustrissimorum Fratrum Tuorum Ternioni respondeat. Quiescit securè Polona Aquila, sub* Illustrissimo D. Excubiarum Regni PRÆFECTO, *qui cunctis stans obvius fatis, singula indefessa solicitudine vincit. Avidus pro Patria mori, paratus se ruenti hosti obicere, ut illum aut reprimat, aut nisi cadens ad viscera Regni tractum impediat. Nulla pericula timet Lithvanorum Pogonia, pro quo, alter Ma-*

gni Ducatûs Lithvaniæ Excubiarum PRÆFECTVS, *Coclitem agit, omnes hostium impetus animosè repressurus. Non contentus Hic à finibus bella arcere, adest Tecum in partem laborum* ILLVSTRISSIME DOMINE, *ut non tantùm tutam, sed & felicem legibus reddat Poloniam. Alto judicio hujus solonis, obstrictos se universi debent, qui gravissima sic librat negotia, ut inter æqvum & iniqvum sola mediet justitia.* Illustris & Magnificus D. CAPITANEVS Tłumacensis, *quid Vos Patriæ feceritis, quid Vobis illa debeat interprætatur. In sago Hector, in Toga Consus, Patriæ decus, ornat Domum, ubiq; emeritissimus. Cætera Domûs Celsissimæ Nomina, quæ Forum sententiîs, Senatum Consilijs, magnitudinē Majoū ubiq; factîs illustribûs implēt; dum taceo, veneror, cùm noverim stellas dinumerari impossibile. Talia solus in Bonum commune agis* ILLVSTRISSIME DOMINE, *ut omnibus solus sufficere videaris. Confederatos non pridem animos; ita prudentî Tuô dissolvisti judiciô, ut Patriam reddideris Tibi obligatam. Hodie nullum momentum inter-*

mit-

mittis, quod Bono Publico non impendas. Magnum Julum, Illuſtrem & Magnificum Dominum CAPITANEVM Kraſnoſtavienſem, *hîs imbuis virtutibûs, quæ aut Majeſtate dignæ, aut Regibus pares eſsent. Primus Regni Iudex, in Kraſnoſtavienſi locas Illum ſubſelio, ut Tu Regnum ſtringas legibus, Ille Diſtrictus & Provincias. Minorem Aſcanium* Illuſtrem ac Magnificum Dominum CAPITANEVM Sokalienſem, *ſic Te Ipſo inſtruis, ut imaginem Tuam ſerens, etiam recteſactorum ſit Prototypus. Non ſufficit Tibi optimè mereri & meruiſse in Patriam; extendis gloriam in Filijs, ut in Illis Illuſtriſſimum Nomen univerſus Orbis admiretur. Velles dividi in membra, ſi omnibus integer ſalutem Reipublicæ non opereris. Mens Tua ſolis Conſilijs Regni immoratúr, altum judicium decernendæ juſtitiæ, cor exornandæ Patriæ, pectus reprimendæ hoſtilitati, manus conſervando natali Solo, Totus publicis negotijs. Palam Orbi teſtimonia non fero, quæ in magna excreſcerent volumina, ſi illa innata Tua modeſtia non velaret. Ne ſal-*

tim offendaris hâc exili paginâ, in qua præsumpsit Tuum Illustrissimum Nomen humilis scribere propensio. Tuus semper MICHAEL, coram Tuo Tribunali, cum novo titulo sistere voluit, ut à Tuo favore habeat hæreditarium. Quare suscipe Illum non averso vultu, & cùm, respondente Tibi in omnibus benignô Cælô, Vota Tua de Corde PRINCIPUM DIVINISSIMO legeris; vide quòd sim:

Illustrissimi ac Excellentissimi Nominis Tui,

Venerabundus Cultor,
&
devinctissimus cliens:

Author Operis.

ORATIO.

INtra geminantis omnia Veris fæcunditatem, dum tumentibûs ubiq; gemmîs erumpunt flores, ad pares MICHAELI DIVINISSIMO ferendos elogiorum fructus, credite quòd facundia ſterileſcit. AA. Florent alibi cepea & allia lilijs adplantata, in Porajo GEDROICIJ etiam Hortenſiorum roſæ areſcunt; quarum conſcium ruborem confundit innocentia. Nullus ad Sanctitatis florem vigor eloquentiæ, totus æſtuantis Auguſtini flammâ extinctus. Etſi namq, Deorum linguæ, (Mercurius eſt) hodie pro ſua Domo dicendum eſſet, coram MICHAELE Cæleſti Intelligentia obmuteſceret. Supra captum hæc eſt, extra omne ipſius Divini Platonis eloquium, unico Angelorum concentu celebranda. Convolent Scriptorum pennæ, faciliùs nigrô puritatem atramentô notabunt, quàm circumſcribent, aut potiùs in liliato candore ſuæ temeritatis noxam exarabunt. Stat cum ore populorum non unus Orbis, certè ad lacrymas Macedonis, Sarmatico Lithvanus ſociatur, propagat uterq, per Regna elogia, in ſubactis Gentibus extendit GEDROICIJ nomen, ambos Dux

magno calcavit fastu, non parem sibi Panegyrim aspernatus. Stat CELSISSIMA PORAJORUM DOMUS, expandit geniales mappas, affulget serenitatis splendor, in Avito Centifolio REGUM Genesim explicat, adducit Joves ex Rosinis de suo ortu superbientes abijcit, execratur hæc singula MICHAEL, tanquam humile id de se dicendi genus. Quæ tandem Oratoris Provincia DIVINISSIME? si orbis non sufficit; Quæ Oratio? si fasces in fastos non abeunt. Quæ Panegyris? si Superûm sanguis in laudum materiem non influit. Quod encomium? si elogiare opus, Principum mitræ non coronant. Motrix mentium MICHAEL Intelligentia est, Circuitiones Rhetoricas, rotundas periodos rapit in vertiginem. Zelô Domini accensus, veriùs igne consumente ardens terret Styli temerarios ausus; confundit Tulliana Lumina, quæ velut tenebræ ad solem, aut scintillæ ad Vesuvium transparent, extingvuntur. Levis ut aura in prædicando MICHAELE dictio, ad Illius lancem omne pondus & pretium amisit. Cado ergo à TUA gloria oppressus DIVINISSIME, exime munus de humeris, non illi forma nec vires conveniunt. Convertite ad Doctorum Phæbum oculos AA. ab Illius radiante flammeo Corde dextrâ indicatum GEDROICIJ considerate elogium. Mysteriorum abyssus est Magnus hic Patriarcha, quasi sibi MICHAEL sit inenarrabilis Sanguinem Ducum, Cor Principum in manu Sua positum, flammîsq; amoris Divini ardens scrutatur, & vobis ostendit. Hic erit Tibi Titulus DIVINISSIME non dedignare Illum, alium dare tenuitas non poterat, vices amori cessit. Confortatus modò sim ex Te Orator, quê Tua premit

mit magnitudo. Concede benevolam aurem A. H. ut dum in manu Augustini Cor Principum ardens scrutabitur Oratio, in TUO animo videat inflammatum.

Non occultâ sed pari sympathiâ, stetit Microcosmos & universi moles. Refudit se ille in membra, hæc in Regna & Provincias. Extulit Atlantem in caput, montes in brachia. Europa pectus ambit, dorsum Asia, Africa & America cum Columnis Herculeis statorea fulcra sunt. Intra talem speciem homo positus, quasi cor terrestrium. De hoc anima seu ordo rerum spargitur in totum corpus universi, cujus spiritu vivit mundus, surgunt Regna, crescunt Imperia. Tremit Orbis cum homine acsi corde suo palpitante, exultat si mæstam fronti temperiem non inducit. Spirant in illo singula, cum illo singula exspirabunt. Sed fallor, agonem non patietur Polonia, in Corde D. mortales nunquam aget spiritus. Suffocentur alij Orbes in cladium suarum profundo naufragantes. Centum portîs Thebæ, velut centum laterum vulneribûs exhalent animam; Pergama dehiscant malignâ febrî; Babylon cum Semiramidis flore decidat; Xerxes septies centum millibûs animarum exspiret; Solem terris eclypsans magnitudo Cyri fluctuet ventîs agitata, ferant Dominia ut folia Aquilones, ridebit Lechus in suo campo aliorum casus prospectans; hoc Corde D. animatus, nunquam vitales auras exspirabit. Sed jam se offerunt Principes, videamus sanguinem, qui D. MICHAELI in primam massam abijt.

Ante Trojæ excidium, dum adhuc Orbis suum caput Romam ab imo non levaverat, de flore fermè Deorũ Rosinus prima portio PORAJORUM est.

Ab hoc terras in omnes exivit Supremum Nomen, ut jam non ſtellas, ſed innumeros è Solijs ſoles numeraveris. Sine limo, veriùs ſine arena abjectionis minutiſſima, ſanguinea D. Cordis materies, tamen non per unum mille annorum, à ſua ſcaturigine in tot Principibus depurabatur, ad pluſquam ſæculorum opus ordinata. Sparsô per Duces & Imperatores ſemine, componebant Roſini nobiliorem ſanguinem, qui expectandum æternitati nomen porrigeret. Cùmq; jam ſub ijs adolevit mundus, Europa in Illis Principes Lithvanos, plùs proferam in gentiliſmo Superos adoravit, è quorum magno mari & ſpatioſo, divisô in Provincias Orbe Dux in GEDROYC emanavit. Hic D. MICHAELI ſanguinem porrexit, Deus vas ſuæ dilectionis formavit. Illuſtri fætu Princeps gravida Mater, non ut Regina Ilij ardentē facem, ſed Seraphim ignitū viſa edidiſſe. Miraculum obſtetrix Lucina recepit, natus Puſio ſe in corculum tortuavit; infantilia blandimenta ex vultu delicioso quærit; non Charites aſt charitatem spiraſſe videbatur. Exultans de Cæleſtibus donis Auguſtale, & non capiens; hæc ipſa adfert aris in votiva munera. Scrutata Principum Sobolem ad Fidei lucernam altaria, & cognoſcentia genuinum in Infante amorem, à zelo futuro MICHAELEM dicunt, à fervore in vindicta honoris Dei Tutelaris, Cor fervidum nominantia. Non vanum omen ſors alia coronavit. Nutricis ab ubere pendet, ut affixum collô pectorale ſignaculum, lacte modico pænè non alitur, candorem ſugit, affectibùs vivit, & lacteo morum paſcitur dulcore. Poterat ſine lacte eſſe hic Lactantius, ad ſolam fameſcit illibatam puritatem; nutricis

magis

magis defixos in se pascens oculos, suavî palpebrâ uberiùs lactat, quàm lactatur. Rumpuntur tandem fasciæ, puerilem exuit bullã, liberalioribus Charitatis Divinæ par funiculis. Transgreditur cunas, sed quasi sine pedibus, impar ferendæ magnitudini natura infirmatur. Inde tamen non minor celsitudo, assurrexit MICHAEL supra naturæ vires, abjectîs etiam Scipionum fulcrîs, illam languedinem in adorationem Deo cùm inflecteret, etiam in minutissima labe deflectens à recto non observatus, & cò citiùs singulos supergressus, quò magìs claudum languidior passus retardabat. Diceres Angelicum in MICHAELE Genium sine pedibus, ni potiùs sine appensis sibi alîs Cor fuerit, quod sine pedali gressu, solis movetur affectibûs, sine columnis ambulatorijs, amore elevatur. Ex depressa GEDROICIJ planta, altior sãctitatis radix pululavit, germinavit fructus humilitatis, manus Cælestis geminavit vigorẽ gratiæ, in prima herba effloruit, flos tulit vindemiã, in Vere virtutum messis adolevit. Sic sanctitas naturam æmulatur, quos illa ingerit defectus, hæc majorî auget cumulô. Torculavit velut gravî prælô doloribus crurales fiscellas, sed nihil præter pietatem explosit de GEDROICIO. Cor verum, languentibûs membrîs ferventiores gerebat spiritus. Hinc irrequietum semper videres; si enim illud orationis ardor remisit, succedaneus laborum motus exagitabat. Ne sanctus unquam fervor torperet, DIVUS Aurifaber in conficiendis pixidibus semper æstuabat. In sua bilance MICHAEL temporis Ponderator, omne, quod à colloquio Dei superfuerat, ponderavit ad auri pretium. Industrior Premyslaus hostem innocentiæ desidiam, artifici-

 oso

oſo triumphavit ſtratagemate. Et certè tremuerunt exanimata coram GEDROICIO vitia, quorum Ducem otium ſub malleo ad intercudem attrivit & procudit. Cor inſatiabile, ſacra fame exarſit, aureîs includés Chriſtũ penetralibûs; officinã amoris in ſe exercuit, ut cũ in millena ſeſe partiri non poſſet corda ex Principe conflaret metallo. Feliciùs quàm intra Romam Voluſius, ex adamante puroq; metallo cordi Citharædum Crucifixum inducit, ſolidæ dilectionis inſculpens teſtimonium; Ipſe Cor Principum ſuo opere coronatum. Anni ergo D. MICHAELIS erant juveniles aurei, & tota ferme ſæcularis vitæ hiſtoria auro incuſſa, ſi has Imagines poſſet ſculptura ſuſcipere, quas mens caſtiſſima in abdito receſſu expreſſit. Videmus in mari Phæbum, ſed minorem; In ſpeculis repercusſas ſpecies, ſed non rarò cùm maculis; Idem ignis ſub candeſcente favilla, ſed in candelabro accenſus illuſtrior. Arſit ex foco illo in SS. Euchariſtiam GEDROICIJ ardor, ſed in pectore majora incendia ſcintillabant. Sacræ pixides effuſum amorem non exhauriunt, prima ex illis capite libamina, ferventiorem charitatis ſitim accendentia, quæ tum evidentiùs patebit, dum Cor D. ex Auguſtali Principum, ad ſolem Doctorum, æmulã ſuo Patriarchæ ſpirabit flammam. Eodem incendiô æſtuans MICHAEL cum Auguſtino jungit vim Seraphicam ignito amori, ut ex fervore pari Filium cùm Patre unum, ex multiplici æſtu duos Seraphin crederes, iratam Dei faciem terris velaturos. Peroſus avitas GEDROICIUS purpurs, Byſtrzycij SS. Congregationis S. MARIÆ Demetri de Urbe, liliatum induit paludamentum, ab intra verò ſacrâ febrî

adu-

aduſtus, debitum candorem. Erubeſcite cum veſtro faſtu Regnorum faſtigia, ad Thronũ Agni, non Regalî fimbriâ, ſtolâ candidâ & indumentô albô opus eſt. Murex aut corona ad Regnum Cæleſte non inaugurat, tẽpora, ſola vincit æternitas. Spernere ſupremas poteſtates maxima poteſtas; famulitium Dei celſius omnibûs Imperium, ad quod Cor Principum niveâ Canonicorum Togâ candidatur. Conſpicite MICHAELEM AA. Angelus in hoc candore videtur, ſed aliud quidquam formâ ſuâ præsẽtat. Totus fulgore velatꝰ, facies & moles ſplendore detecta, unicè intaminatum pectus Cor flammeũ monſtrat, totus MICHAEL in Cor transformatus. Scrutamini Illud in manu Auguſtini; Davidis eſt ad pœnitentiam converſum, in novo habitu, ſicut lac coagulatum, mundum, attritum, humiliatum, cineres illi tanquam panes, panes lachrymæ die ac nocte; pari gemitu vivit, illud tantùm conſcia noxa, hoc populorum pungit delictum. In ſtatione & primo gradu Novitiorum, & jam tam diſpoſitæ ad perfectionem aſcenſiones in illo, ut in terris & ſupra terras elevatum, exaltatum ſit. Noviſſimè MICHAEL in ſcalam virtutum aſcendens, extra Iacobi ſomnia Angelus, & jam perſtat in limine Cæli, omnes inferiores, ſunt infimus in culmine ſedet. Intra tenuem moram & breve ſpatium, ſubitô & velut ruptô Cælô, tantum lumen eruperat, ut gelidiori Zonæ & Boreali Arcto propiorem Polũ non tantùm illuſtraſſet ſed & accendiſſet; Utq; non uni Cælo natus, totam Lechiam ſuæ gratiæ ſplendore irradiaſſet non exactô probationis Annô, flagranti æſtu in minorem Poloniam Cor Ardens transferri deſiderat. Aperimus

mus TIBI pectora Nostra Cor D. sis nostrum precamur, singularis portio & vitæ scaturigo. Cor es, non una Pars Poloniæ, totum corpus ex Meditullio Tuam participet sanctitatem. Gaude, exulta, & lætare Coronatrix Regum Cracovia, quòd in novam Hierusalem abiêris. Aliæ Urbes quærunt Sanctorũ patrocinia, Tu illorũ Sedes es; imò ipsæ Beatæ mentes accurrunt ad Te, ut inhabitent. Stabis, stabis ad malignam fatorum invidiam, eò robustior, quò Cor Principum fortiores dabit spiritus. Postquam alta præcordia hujus Metropolis replevit Cor D. de quatuor animalibus B. MARCI Leo Majestati illius; ut quondam Salomonis Throno, unus pro duodecem, accubuit. Ad frontẽ hujus Basilicæ angustam ponit Cellulã, vix majorem tecâ aureâ; ut vel inde pateat ad oculum, interna Cordis humilitas. In foribus templi locatur, Sapiens & Cælestis Virgo, cum lampade ardenti expectat Sponsum ad januam. Accurre calamitosa mortalitas, in procellosi maris turbidine, vel in ipso ultimæ sortis occidẽte, pharos Tibi accensa triumphalis. Numera turbas stellarum calculô, currunt indiffecto agmine, velut ex desperatis voraginibus & antris reclusæ; ut quasi in moribundas & deficientes arterias ex Corde D. gratiarum fluenta scaturiant. Hauriebant namq; salutem prorsus exsangues nervi, concisasq; fatis fibras, & pænè jam extinctos venarum motus vigor Cordis D. reficiebat. Fluunt ex MICHAELE, quasi ex cordialibus venis lachrymæ, merus pectoralis cruor in oculis distillatus, ut corruptæ carni meliorem sanguinem propinet. Surgunt tot humata cadavera, viva Operũ GEDROICIJ simulacra

de

de ſepulchralibus umbris efferentia, quæ inextinctus Cordis D. ardor emortua & extincta reſuſcitabat. Hærebat in pteromate harum Ædium MICHAEL, ad formam votivi cultûs appenſa ſpecularis cryſtallus, per quam Sol de tremendo Altari, & incendia Charitatis propagaret, & calamitoſas gentes aſpiceret. Sicq; in illam ſuos reflexit radios ut futuras ſpecies, quæ unicè Deitati immerſæ, prænderet GEDROICIUS. Verum Cor Principũ, clades plebis & imminẽtes eventus præſẽtiens. Si penates reviſeris Illius, ſedes parva, norma Solij, ſtricta latera, ſtabant ad inſtar appenſi hinc & inde circa Majeſtatem veli, ſupellex tota, precatorij funiculi, ut circa Cor præcordia. Exeamus de anguſta cella, ſemper in ſaucio Corpore, Cor D. REGIS Regum per hiantia vulnera nobis eminebit. Qualiter cruciabatur cum Chriſto, loquantur hi lapides de parietibus. Quoties Fratrum Chorus, ſeu terreſtris Angelorum Hierarchia ſuccedebat, Eccleſiæ pavimentum virgas, marmorea iterum Salvatoris exciſa columna, rubros habuit characteres. Quali vultu profeſſus Martyr, coronam Martyrij ſuſciperet, flagrans inter ſpinas & tribulos oſtendit. De Pœnitentia CANONICUS, veræ pœnitentiæ madeſcens ſanguine, ſcribebat in ſe canonem. Cujus fragrantia ſucсenſi vultures Averni, advolant extra fabulas, ad Sanctum Promætheum, conceptam de Cælo flammam, ſi non extincturi, ſaltim preſſuri morſu laniente. Quærebat noctu Sponſa Dilectum Suum, en à Prædonibus diſcerpta, contrucidata, cæſa, vulnerata. Timete

Filij

Filij tenebrarum, Dilecta est Sponsi æterni, Cor Regnantis omnium, offensus amor deliciarum susuarum injuriam vindicabit. Nec aliter AA. Ipsa malignitas sibi pæna gravissima. Inflicta Cordi D. atrocitas, horridior in authores redũdavit. Datîs cicatricibûs trux rabies trucidata: Innocentia volitata in cruore in impurarum cessit mentium carnificium. De tot vulneribus, geminatum tantùm ruborem infernalis lucrata propago. Clamavit ad Cælum sanguis innocens, ut Ipsa Salus svavibûs de cruce verbîs Cordi D. mederetur. Dolebat Sponsus Frater, suum pectus Mysticæ sororis amore vulneratum, ijdemq; ictus, qui Cordi impingere scissuras visi, quasi unam animam, Illum doloribûs compunxerunt. Diu noluit victus in Deo amore amor, palmas GEDROICIO porrigere, sed cruciatuum sui Cordis constrictus pressurâ, jam se per Verbum Æternum enuntiat. Longo languore amantis in MICHAELE spiritûs, tandem fervens in Christo dilectio, blanda voce magnitudinem ægritudinis alleviat, gaudiorum futura secum sponsalitia profert, testatur, appromittit. O vivacia dilectionis tela! quæ sic sauciant. O refrigerantia Amoris DIVINI incendia! quæ sic adurunt. Æstuavit temporibûs MICHAEL, ardebit in splendoribus Sanctorum æternitate. Sic pectori infixum REGIS Regum Cor D. consorti in CANTIO, SVIĘTOSLAO, SYMONE LIPNICIO, ISAIA BONER, STANISLAO CASIMIRITANO, jungitur Sanctitati: crederes tot Corda, quot Viros

ros, ni connexa vi unionis in unum abierint. Non distingvuntur Beatæ Mentes, quæ unam spirant sanctitatem. Ex horum præcordijs una erat Cythara, eandem Deo canens psalmodiam. Utq; Jonathæ animæ conglutinata est anima David, ita singuli hi erant in MICHAELE, & MICHAEL in Singulis. Cor Principum geminatô ardore in Illis, quasi in quinque unius animæ suspirans erat & spirans amorem potentijs.

Irem ulteriùs, sed me infinitîs tractibûs miraculorum Tuorum DIVINISSIME non implicabo. Terrent Stylum naturam evertentia prodigia. Ad hodiernam & ultra diem, digesti factorum codicilli, nequeunt terminari. Non videbit TUUM occasum oratio, TUA adhuc non visa venustate capta dictio; dum Cælo pulchram hiares animam, entheum exhalaret oratorium. Cor Ardens semper es, & tum, dum vitam extingvunt fata, Cælestî corruscas flammâ. Inspira ergo hunc ardorem Poloniæ, ut Tuâ Sanctitate fervens, nunquam malignîs ignibûs uratur. Foveas Regni Scholam, ut quæ erudit ad justitiam, luceat Tuîs splendoribûs. Vestrum tandem veneror, à limine dictionis Liliati Patres fastigium. Vestra in humagia volvitur Orbis Christianus, quibus debet Solem Doctorum Augustinum. Algentem Seraphico igne accendistis, accensum Scientiarum Splendoribûs adusq; illustratis. Doceremur & exnunc de vestris Singulorum ardoribus, qui Patris Vestri inextinctæ flammæ, Rubus ardetis

incombustus; si splendida Magnorum Nominum umbra, terrorem non incuteret. Deferrem in publicum Orbi, quotidiana in secretis conclavibus vestra cum DEO colloquia, si scrutari arcana & efferre possem. Dicerem Vestrum zelum, si offensos sibi Vos eloquium non haberet. Compono igitur lingvam ad Vestram modestiam, de Corde Principum DIVINISSIMO, quales estis, quisque Vos leget & profitebitur.

DIXI.

